



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Dicta Abbatis Alexandri senis. Capvt CLXVIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

pereginum, & à canibus comestus est; cùm enim illum saluare possem, non feci, sed dimisi eum, & à canibus discerptus est, scioque, quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est. Post. tres enim annos à bestijs, vt dixerat, & ipse discerptus est.

¶ Erat quippe nudus. Multi siquidem ex sanctis nuditate pro vestimento vsi sunt.

Dicta Abbatis Alexandri senis.

CAPVT CLXVIII.

DICEBAT Abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta, & tribulationes persequantur; nos autem ciuitates, & requiem sequimur. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris virtutes istæ vigeant, ¹ nuditas, & humilitas; in nobis autem auaritia, & superbia regnat. Ait rursus: Patres nostri nunquam facies suas lauabant; nos autem lauachra publica, balneaq; frequentamus. Dixit iterum senex: Heu mihi, filij, quia conuersationem verè Angelicam destruximus. Ait autem ad illum Abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincēti, quia infirmi sumus? Crede mihi, fili, Olympici corpore, & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est. Dixit iterum: Multum comedere, & bibere, & benè vestiri possumus, abstinere autem, & humiliari non valemus. Rursus dixit: Væ tibi Alexander; væ tibi; quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur.

¶ Vide virtutes, quæ antiquos monachos commendabant.

Vita Senis cuiusdam capti oculis in Monasterio Abbatis Sisci.

GG 4 CAB.